



28 Mist

B. 481.



AVSPICIS ET IVSSV
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

G V I L I E L M I IX.

HASSIAE LANDGRAVII PRINCIPIS HERSFELDIAE COMITIS
CATTIMELIBOCI DECIAE ZIGENHAINAE NIDDAE
SCHAVENBVRGI HANOVIAE RELIQVA

CLEMENTISSIMI PATRIAE PATRIS

ET

ACADEMIARVM SVARVM RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI

FASCES ACADEMIÆ ERNESTINÆ

PRO-RECTORI IN ANNVM SEQVENTEM MAGNIFICO

VIRO ILLVSTRI ET CONSVLTISSIMO

C A R O L O G V I L I E L M O

W I P P E R M A N N

J. V. D. EIVSDEMQUE PRIMARIO ET HISTORIARVM
PROFESSORI CELEBERRIMO

AD D. XIX. IVLII ANNI HVJVS MDCCXC.

TRADENDOS INDICIT

EAMQUE AD PANEGYRIN

EA QVA DECET HVMANITATE INVITAT

D. JO. ENGELH. KAHLER

ACADEMIAE HACTENVS PRO-RECTOR
NONNVLLA

DE ECCLESIAE REPRAESENTANTIS ORIGINE EIVSQVE
CONSTITVTIONE IN SVCCEDENTIBVS TEMPORIBVS

MORE MAJORVM,

PRAEFATVS.

RINTELII, LITTERIS A. H. BOESENDAHL ACAD. TYPOGR.



AVSPICIS ET 1752
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
 D O M I N I
 G V I L L I E L M I I X
 HASSIAE LANDGRAVI PRINCIPIS HERSELDIAE COMITIS
 CATHOLICI BECAE NIGERHAINAE NIDDAE
 SCHWARZBURGI HANNOVAE RELIOVA
 CLEMENTISSIMI PATRIAE PATRIS
 ET
 ACADEMIARVM SVARVM RECTORIS
 MAGNIFICENTISSIMI
 FACES ACADEMIAE ERNESTINAE
 PRO-RECTORI IN ANNO SEVENTEM MAGNifico
 PRO-RECTORI ET CONSULTISSIMO
 CAROLO G V I L L I E L M O
 W I P P E R M A N N
 J. V. D. EVGENOVE PRIMARIO ET HISTORICVM
 PROFESSORI CELEBRISSIMO
 AD D. XIX. IULII ANNI HVVS MDCXC.
 TRADENDOS INDICIT
 FAMOVÆ AD PANEGYRIN
 EA QVA DECT HUMANITATE INVITAT
 D. JO. ENGELH. KAHLER
 ACADEMIAE HACTENVS PRO-RECTOR
 KONVALLA
 DE RECESSIVE REPRESENTANTIS ORIGINE EINZOVE
 CONSTITVTIONE IN SUCCEEDENTIBVS TEMPORIBVS
 MORE MAIORVM
 PRÆTAVS

KUNSTHAUS, PATRIAE A. H. BOSENDAHL Acad. Typogr.





§. 1.

Argumentum proponitur.

De Ecclesia repraesentante vulgo repraesentativa, brevibus exponere animus est. Quae ad veritatem perspicue docendam a viris cordatis adoptata est, inter *Ecclesiam syntheticam & repraesentantem*, distinctio, ea, nisi a lucri studio unice addictis, in rem insidiosam & sophisticam conversa esset, omni in hoc capite controversia superfedere possemus & armorum collatione animosa. Verum, quas ad captiones *Ecclesiae repraesentantis* denominatio detorta sit, penitus inquirere a scopo, quem nobis proposuimus alienum existimantes, quae sit illius origo? quae primis succedentibusque temporibus ratio? quam potero curatissime dicam.

§. 2.

Distinctio inter Ecclesiam syntheticam & repraesentantem explicatur.

Originem ecclesiae repraesentantis detecturo, quid non fucati juris ecclesiastici doctores, cumque ipsis Theologi graves & ingenui, sua sibi distinctione, inter *Ecclesiam syntheticam* dicere voluerint, aperiendum mihi est.

Syntheticam nempe visibilem dixerunt Ecclesiam, quoad omnia & singula membra, ex quibus componitur, sua, doctores juxta ac auditores complexam, spectandam.

Repraesentativam vero, aut si mavis *repraesentantem*, vocarunt, quoad aliquam duntaxat membrorum suorum partem spectatam; quibus, puta, membris omnis ecclesia reliqua jus seu potestatem contulit, sua voce ad communem utilitatem consulendi, suffragia ferendi, decernendique.

§. 3.

Quaenam referenda sint ad Ecclesiam repraesentantem ostenditur.

Ad hanc ecclesiam repraesentantem merito retuleris, non modo coacta identidem *Concilia* seu *Synodos ecclesiasticas*, tales nimirum conventus in quibus publica omnium ordinum, vel certe praecipuorum capitum, e singulis ordinibus deliberatio, de abusibus religionis tollendis, de falsa doctrina abolenda & vera restauranda suscipitur; sed etiam statuta passim, *ecclesiastica Collegia*, ad eandem potestatem, plus minusve exercendam, instructa, quocumque de cetero veniant nomine. Dicuntur enim *Synodus sancta*, velut in Russia hodierna: Dicuntur *Consistoria sacra*, qualia in Germania nostra, in Protestantium juxta ac Pontificiorum ecclesiis, constituta novimus: dicuntur *presbyteria, conventus, con-*

gregationes, jam ordinariae, jam extraordinariae, particularibus localibusque ecclesiis passim placitae. Ipsum quidem *ius* in communem vel necessitatem, vel utilitatem, calibus suborientibus, *cognoscendi, consulendi & decernendi*, dubium Protestantibus nobis non est, quin toti competat *ecclesiae syntheticae*, atque adeo non magis doctoribus, quam auditoribus illorum, seu quod vulgaris jam stilius ait, non magis *clericis* quam *laicis*. Idque prorsus secundum aequalium societatum regulas, quae edicunt: *Quod omnes concernit, ab omnibus convenit curari: & ad quoscunque spectat finis in legitimam societatem id propter coalitos, ad eos quoque spectat jus prospiciendi de mediis, iisdemque legitime utendi, ad finem propositum, quoquo modo requisitis aut conducentibus.*

§. 4.

De Origine Ecclesiae repraesentativae falsa opinio prima.

Quod si jam ad rationi maxime consentanea haecenus dicta animum attendamus, facile perspiciamus, nugari vulgus eruditorum inter Pontificios, qui, ubicunque in novi foederis Actis, conventum sanctorum hominum, aut Christi Domini collatos cum Apostolis suis sermones, invenerunt, actutum etiam de ecclesiae repraesentativae, conciliorum & synodorum origine, dulcia somniarunt somnia. Vis ex eorum mente exempla? Primum, ajunt, concilium novi foederis fuit, cum beatissima virgo Maria inviseret cognatos suos, Elisabetham, maritumque illius Zachariam. Quis hic albis dentibus non rideat monachale acumen? Quis non exclamet? *Auriculas asini Midas rex habet!* Sic enim vero omnia amicorum cum amicis colloquia sacra: immo, quod invitis licet auribus latinis dixerim. *Visitae omnes claustricolarum beguinarumque, ecclesiae repraesentativae, concilia & synodi, fuerint.* Vah monachale iudicium!

§. 5.


Secunda falsa opinio.

Qui circumspectus, non sine partium tamen studio, viris gravibus & veritatis cupidis, sane indigno, ad rem accedunt, primum ecclesiae repraesentativae Concilium, seu Synodum, habitum esse adstruunt, cum Christus, Caesareae Philippi significantius interrogaret Apostolos suos Matth. XVI. 15: *Vos vero quem me esse censetis?* respondente Petro: *Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, cetera. Fuit, ajunt, praeterea Concilium, cum Christus post resurrectionem suam apparuisset discipulis, rem piscatori- am in mari Tiberiadis exercentibus, ubi Petrus post quaestiones a Christo propositas rite ab ipso expositas, semel pascere agnos, bis pascere oves justus est Jo. c. XXI.

Ita

Ita nugatur *Caesar Baronius* in decantatis *Annalibus suis ecclesiasticis, seculi primi a Christo nato*. Quis vero emunctae naris non videt, *Baronium* cum grege suo declamatorum, eo solummodo collineare, ut credulis persuadeant, vel per *Decreta conciliorum, ab ipso Christo coactorum directorumque*, *Petrum Apostolum* ecclesiae suae caput esse constitutum, eoque ad *Episcopatum* deinde *Romanum* provecto, in *Petri* vicem omnes, consecutis temporibus, *Papas Romanos*, rite successisse. Ergo, si *Christi* ecclesiae caput, *Petrus* est, hujus quoque successores ecclesiae caput sint, oportet, si caput; sunt ecclesia repraesentativa. Parum tribuerem perspicaciae lectorum, a partium studio alienorum, immo vero sensui communi, si in sophismatum istis officiis depellendis multus essem. Rem, paucis verbis, at serio agemus. Cum *Christus*, id quidem temporis, ecclesiam suam, novae oeconomiae divinae ad amissim, quod novum testamentum, novum foedus, vocamus, modo colligeret: quae tunc distinctio inter *ecclesiam syntheticam & repraesentativam* locum habere potuit? Cumque per se fidem faciens, ipse ordinem verae & perennitatis salutis humanae conderet; quas quaeso sibi partes, in toto hoc instituto, vel *ecclesia synthetica* arrogare, vel quod jus suum in alios, ecclesiae repraesentativae nomine ac titulo, transferre potuit? At *Christum* locutum esse dices, non de praesenti, sed de futuro seculo. Agnosco metaphysicam subtilitatem: sed ego transcendentalium demonstratores sophos, e regno possibilitatum, in regnum fide dignarum historiarum venire jubeo. Interim tamen ad argumenti nostri confirmationem conducere videtur, quaedam quoque de Conciliis ab *Apostolis*, secundum *Pontificiorum* principia, coactis, in medium protulisse. Si *Acta conciliorum* consulimus, quod opus splendidum & pretiosum editum a *Colleto*, e *Bibliotheca b. nostri Schwarzii*, cujus fama nunquam interitura erit, *Illustris noster Hassencampius*, qui *Academiae Bibliothecae* optima cura praestitit, comparari curavit, varias ibi & quidem in *Tomi I. p. 17* seq. recenseri *Concilia & synodos*, ab *Apostolis* habitas, invenimus. Primum fuisse traditur, Anno *Christi 34.* in domo *Mariae matris Joannis*, qui cognominatus est *Marcus*, *Apostolis & discipulis Christi* praesentibus, quod *Lucas Act. I.* nobis relatum dedit, & in quo *Matthias*, in *Judae* proditoris locum, *Apostolus* electus est. Secundum *Act. IV.* ubi *Petro & Joanne* a *Senatu Pharisaeorum* reversis, tota multitudo ferventissimis precibus *Deum* invocat. Tertium *Act. IV.* in quo septem *diaconi* electi sunt. Quartum denique illud, quod *Act. XXI.* enarratur, ubi *Paulus* apud *Jacobum*, *Hierosolymorum Episcopum*, cum *Presbyteris* collocutus est.

Sed haec omnia nequaquam *Concilia Ecclesiae repraesentativae* fuisse, quisquis rerum justus *Censor* judicabit & in sequentibus probare studebimus.



§. 6.

Prima origo Ecclesiae repraesentativae.

Ecclesiae repraesentativae originem veritatis cupidi & quae ad rhombum faciunt dicentes, in juris socialis regulis intemeratis primitus deprehendunt. Iidem deinde observant, Ecclesiam a Christo partim suo ductu, partim, auspiciis suis, & quidem Apostolorum ministerio suorum collectam, non aliam esse, quam *syntheticam*. Tametsi vero, secundum systema juris socialis, jus ad communem societatis necessitatem, utilitatem & commoda cognoscendi, consulendi, decernendique toti competeret *Ecclesiae syntheticae*, nihil tamen est, quod societatem impediatur, quo minus jus eadem suum conferat in aliquos, e gremio suo ad hunc finem delectos & destinatos. Immo ut id faciat identidem, suadent tempora, locorum intervalla, personarumque ad negotia rite expedienda peritia, dexteritas & fides documentis explorata. Atque haec, juri sociali maxime consona, apprime confirmantur ratione & forma Hierosolymitani illius, a Luca Act. XV. enarrati, Concilii propriae & per concessa partium disputantium, strictè dicti *Apostolici*. *Apostolici*, inquam, non quod ab unis Apostolis convocatum habitumque fuit; repugnat enim sententiae huic, sit quamvis communis, omnis historica veritas. Sed dictum est concilium *Apostolicum*, quod viventibus adhuc Apostolis atque adeo in Ecclesia *Apostolica* Anno post mortem Christi decimo quarto, & Claudio octavo, in quo cum Judaeis & Christianis Petrus Roma expulsus est, celebratum, inque Actis Apostolorum I. c. descriptum legitur. Huic concilio in *Actis conciliorum* forma quoque plenaria conciliorum tribuitur *postmodum a summis pontificibus & sanctis patribus observanda* v. Tom. I. p. 19. Ea ratio, propter quam huic conventui concilii nomen tribuendum est, in quatuor supra nominatis & ab Ecclesia Catholica confirmatis conciliis Act. I. IV. VI. XXI. non reperitur, cum neque de controversia quadam finienda, neque ecclesiae emendatione instituenda actum fuerit. Hoc enim concilii proprium est, quo a congressibus aliis distinguitur, quod in illo iudicium de vera salvæ religionis & fidei capitibus, item de caeremoniis & ritibus, vel etiam de disciplina ecclesiastica, juxta praescriptum verbi divini, instituitur. Quae omnia de conventu Hierosolymitano optimo jure asseri possunt.

§. 7.

Historia concilii Hierosolymitani enarratio.

Cum enim quidam ex Judaea profecti Antiochiam venissent, palam docentes, salutem haud contingere hominibus ex sola gratia, sed requiri observationem legis, imprimis *opus esse Gentibus circumcisione*, ita ut nemo, nisi circum

circumcideretur saluus] fieri posset Aët. XV. nata est quaestio: *Utrum fideles ex gentium praepotio, ad Christum conversi, sint circumcisione judaica initiandi, & ad omnem legem rituales Mosaicam adstringendi?* Magna inde orta est Antiochiaë inter Doctores contentio, apud auditores diffidentia & offensio. Cum autem ex ejusmodi contentione Ecclesia Antiochena non leviter perturbaretur, Proceres, ut demum occurreretur magis magisque ingravescenti malo, statuerunt, ut mitterentur Paulus & Barnabas alique insuper nonnulli de suo grege, ad Apostolos & Presbyteros Hierosolymas, super hac quaestione. Missi cum feliciter eo appulissent, suscepti sunt ab Ecclesia Hierosolymitana perquam benevole. Non multo post Apostoli, Petrus & Jacobus & alii qui tunc Hierosolymis commorabantur, juxta ac Presbyteri, sive Seniores, ac multitudo fidelium l. c. v. 4. sine cunctatione, quoniam periculum in mora esse videbatur, coierunt ut praevia diligenti inquisitione de ea re statuerent & sententiam ferrent. In confesso illo sancto Paulus & Barnabas, *ex Parte una:* Duces vero & Coryphaei Pseudo-Apostolorum Nazaraeorum, *ex parte altera,* contentionis origo investigatur, materia litis examinatur, atque utriusque partis, ut par erat, rationes & allegata ponderantur. Auditis iis, Petrus in ultro citroque disceptantium coetu, quid de nota controversia sui concilio autoritate nomineque usus, uti quidam etiam ex iis, qui Rom. Ecclesiae castra non sequuntur, asserere non dubitarunt (etsi simul nihil inde pro primatu colligi posse vindicent) nimirum Deum clementissime Gentes, in urbe Caesarea, ad Christum ipsius ministerio conversas Sp. sancto donasse & *Fide* per verbi praedicationem corda earum purificasse, non requisita aut intercedente circumcisione, aut legis Mosaicæ observatione. Univerſa autem multitudine adhuc suspensa & silente, atque adeo ut mihi videtur sententia Petri, venditati universalis ecclesiae capitis, non statim assentiente, neque, uti docemur, simpliciter subscribente Concilio, Barnabas & Paulus ab Antiochenis delegati, qualia & quanta Deus inter gentes edere dignatus sit, exponere perrexerunt v. 12. Qui cum conticuissent, Jacobus Alphaei filius Episcopus Hierosolymitanus, uti Eusebius in *Hist. Eccles. l. IV. c. 5.* asseruit, quid ad componendum dissidium decernere conveniat, congregato coetui suggerens, v. 13 21. Petri ex parte repetit allegata & dicta. Deinde ex Verbis Amosi Prophetæ probat, etiam Gentes (licet Judaicum non reciperent) ad Christi regnum gratiæ pertinere, modo in eum mediatorem crederent. Denique concludit: Illos ipsos, qui ex Gentibus ad Christum converterentur, non esse circumcisione & observatione legis Mosaicæ onerandos. Controversia igitur collectis votis, ita, uti Petrus & Jacobus secundum Sr. Srae oracula probaverant, dirimitur

mitur. Ipsum vero decretum totius Ecclesiae Hierosolymitanae approbatione conditum literisque comprehensum, placuit Apostolis, Senioribus & universo Fratrum collegio, Paulo & Barnaba, virisque aliis probatissimis, dare ecclesiae Antiochenaе, ut redderent & interpretarentur. Legimus enim v. 22. *Tum visum est Apostolis & Presbyteris, cum tota ecclesia, delectos viros mittendos esse, una cum Paulo & Barnaba Antiochiam.* De literarum vero ad Antiochenos emissarum autoribus legimus v. 23. *Apostoli & presbyteri & fratres.* v. 25. *Visum est nobis unanimiter congregatis* v. 28. *Visum est spiritui sancto & nobis.* En Concilii Hierosolymitani ejusdemque Apostolici rationem & formam plane ad juris socialis leges effictam a). *Quod omnes concernit, ab omnibus curandum est: & ad quos spectat finis a societate legitima propositus, ad eos quoque spectat jus, prospiciendi de mediis, quoquomodo ad propositum finem legitimum requisitis aut conducentibus, legitime obtinendum, rite utendi.* Quae ratio & forma in conciliis ecclesiasticis adhibenda e concilio nostro *Apostolico*, cordatis eo facilius patebit lectoribus, quo solertius animum attenderint partim ad ea, quae absolute & simpliciter, partim non nisi cum indulgentia quadam, prudentum medicorum instar, ad infirmitates personarum & circumstantias temporum suorum, decreta tunc fuerint Hierosolymis. Qualia fuerunt: abstinere fideles ex praepotio sese quoque a carnibus suffocatorum animalium & ab esu sanguinis, idque ad tempus ne usu illarum rerum offenderentur ii, qui ex Judaeis erant conversi & fraternitas christiana inter Gentes & Judaeos, Christo

a) Inclytus Iustus Henningius Boehmerus conventum hunc Apostolorum, cum presbyteris & reliquis ecclesiae Hierosolymitanae membris, concilium fuisse negat, siquidem illi, inter quos Antiochiae controversia illa exorta erat, in sententiam Ecclesiae Hierosolymitanae compromississent; ex compromisso igitur in illa ecclesia, de hac quaestione actum, decretumque cum aliis, non per modum imperii sed doctrinae communicatum esse. V. Dissertat. juris ecclesiastici antiqui Dissert. III item emendationes & additamenta ad Io. Schilteri Institut. juris canonici Lib. I. Tit. IV ut & origines praecipuarum materiarum juris ecclesiastici. Cap. IV. Verum si concedamus; quamvis hoc non expressis verbis Act. XV, 2. adstruatur, partes Antiochiae disceptantes in Hierosolymitanae ecclesiae sententiam compromississe, exinde tamen vero fundamento concludi potest, illos, optumam hanc esse viam litem hanc componendi, intellexisse, si congregationi cuidam ecclesiae Hierosolymitanae, hanc controversiam paulo accuratius persequendam & componendam commendarent, cum eo modo. Quod actum sit, quo in conciliis agi solet, non video, cur conventui nomen Concilii aut Synodi ecclesiasticae, denegari debeat, praesertim cum & solenni decreto controversia ista fuerit finita. Ipsemet Boehmerus in Iure suo parochiali admittit concilium, conventum Hierosolymitanum fuisse Sect. I. C. II, §. LXVIII. Quod si ergo Concilium fuit hic conventus; recte etiam conciliorum origo ab illo derivatur, v. Buddei Ecclesia Apostolica p. m. 187.

Christo Salvatore addictos melius & firmiter coalesceret, addita quoque ratione, quod Moses a priscis temporibus, concionatores suos habeat oppidatim, qui eum singulis legere solent Sabbathis. Abstinerent porro a scortatione, quam pro peccato non habebant; legi tamen morali contraria esset b).

§. 8.
Obiectio refellitur.

Forſan hic vel ille ſolo diſſentiendi ſtudio ductus, obijciat: poſt Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum aetatem, concilia uſque ad Nicaenum quarti ſaeculi, a ſolis Epiſcopis, nec ad leges ſociales eſſe celebrata compluria. Per multa quoque recentia in laudatis *Conciliorum Tomis* legimus, qui Tomi uti hodie divulgati, chai ſimiles ſunt, in quos Ovidiana pulcherrime quadrant:

— rudis indigeſtaque moles,

Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſta eodem

Non bene junctarum, femina diſcordia rerum.

Addo, quod Tomi illi conciliorum eruditiffimis quidem, hominum longe doctiſſimorum, ſed qui cauſae Pontificum Romanorum penitus devoverunt ſeſe, ſint inſtructi expolitique annotationibus, obſervationibus, deductionibus, refutationibus, digreſſionibus, & excuſionibus; ut non tantum pari jam paſſu cum tortuoſo *jure Canonico Pontificio*, ambulent, ſed multis etiam paraſangis illud poſt ſe relinquunt. Quid hinc mirum, quod devota Pontifici Romano capita, ad hos Maeandros tam cupide recurrant & quaſi provelent? In illis igitur ſaepe laudatis *Conciliorum Tomis* complures, ante concilium Nicaenum, obtruſas nobis reperies Synodos & magifico ſub titulo vendidata Concilia. Quaedam tantum nominabo: *Concilium Pergamenſe* ac p. c. n. 152. habitum, cujus notitiam debemus uni Primaſio, ſeu quis alius autor fuit libri de haereſibus, quem Syrmondus ſub nomine Praediſtinati edidit. *Concilium Orientale* celebratum circa annum 160, cujus quoque mentio in allegato ſcripto tantum facta eſt. *Concilium Hieropolitanum*, circa annum 173. habitum.

Con-

b) Subit hoc loco admirari divinum magni poſt hominum memoriam Lutheri ejus que ſociorum judicium, in eccleſia ſui temporis rite emendantium, quae ſua aetate, ſalva ſalutaris doctrinae Chriſtianaе veritate non poterant non ab erroribus repurgari; naevos contra Eccleſiae ſui temporis paullo tollerabiliores magna indulgentia ferentium. Quos ſi alii cum viro divino eandem reapse ſentes ſententiam, pari indulgentia ad noſtra uſque tranquilliora tempora ferre voluiſſent, quantis bona noſtra cauſa carere potuiſſet malis, & quibus in praefens urgemur, colliſionibus!

B

Concilium de Paschatis celebratione Romae coactum. Fastidit plura allegare. Quae vero omnia non alia fuerunt, quam amicae inimicaeque consultationes, quorundam ejus temporis doctorum, scita eorundem privata, decreta particularia, immo scripta apocrypha & nullius fidei collectanea, hinc nomen Conciliorum non merentur, nil enim commune cum Concilio illo Apostolico habent. Sumat queso lector benevolus Tomum primum conciliorum ad manus, & me fallitatis infimulet. Modus enim secundum quem haec sic dicta Concilia celebrata sunt, plane non convenit cum illo, qui in Concilio Hierosolymitano observatus & in Conciliis adhibitus est. Possem si tantum vincendi studio traherer, allegare ordinem de Concilio celebrando desumptum ab *Isodoro Mercatore*, aut si mavis *Peccatore* ex Concilio Toletano IV. cap. 4. & „*Gasparae Lovisae Hispanicorum conciliorum* editoris diligentia emendatum, quem Tom. I. Conciliorum pagina octava ita relatum legimus. „Hora, diei primi ante solis ortum ejiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus, cuncti ad unam januam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent: Et convenientes Episcopi pariter introeant, & secundum ordinationis suae tempus (*nach der Ancienneté*) resideant. „Post ingressum omnium Episcoporum atque confessum vocentur deinde „Presbyteri, quos, causa probaverit introire (*die zum Handel gehören mögten*). Nullus inter eos audeat ingredi Diaconorum. Post hos ingrediantur diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse (*die man herbei kommen zu lassen für gut finden wird*). Et corona facta de sedibus Episcoporum, Presbyteri a tergo eorum resideant, Diacones in conspectu Episcoporum stent. Deinde ingrediantur & Laici, qui electione concilii interesse meruerint (*Layen die nach des conciliums Gutachten darzu werden gewürdigt werden*). Ingrediantur quoque & Notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit. Et obserantur januae, sedentes in diuturno silentio, dicatque Archidiaconus &c.“ Hunc ego de celebrando concilio ordinem meum sane, inductis coloribus quibusdam, facere possem, nisi editores Conciliorum, quod una nobis manu dederunt, altera iterum abstulissent, provide praemonentes lectores suos: *Sciant*, ajunt, *lectores non esse generalem hunc ordinem: sed tantum forte servatum in Toletanis, vel aliis in Hispania celebratis conciliis*. Facere ordinem illum meum possem, nisi Toletanum IV. anno demum p. c. n. 671. actum, sequiorem aetatem attingeret, nec impressa recentiorum temporum proderet vestigia, a via recta magno opere jam aberrantia. Quod ordo aliquis, in concilio celebrando, temporum periodo accommodatus, inventus sit & praescriptus, nondum id male habet. Male vero habet, & sequius ecclesiae christianae seculum redolet,

dolet, quod Presbyteri, non secundum ordinationis suae primatum, cum Episcopis in unum censum sunt ducti, sed tanquam minorum gentium Dii segregati, a tergo Episcoporum sedere iussi: quod Diaconi, veluti elingues spectatores & auscultatores, qui duobus oculis videant, & utraque aure audiant, ex adversum Episcopos stare sunt coacti: quod denique Laici non nisi cum proluxa dominorum Synodi voluntate sunt admissi. Quid, quaeso, hic ordo agendorum conciliorum commune habet cum Concilio explicato Apostolico? Quid Ecclesiae ejusmodi repraesentativa cum allegatis juris socialis regulis? Nihil quidquam fateor; non enim libet coloribus uti.

§. 9.

Constitutio Ecclesiae repraesentativae sequioribus temporibus.

Sed non ideo despondendus nobis animus, nec dubitemus quominus in labyrinthum hunc nos illatebremus, porrectoque filo Ariadneo ex eodem emergamus in claram lucem. Filum certe ejusmodi nobis porrigunt, Concilia priorum p. c. n. seculorum *generalia* vulgo *oecumenica*, nec minus sequentium temporum *nationalia concilia*, privatis studiis *conciliorum provincialium & dioecesanorum* opinionibus ordinationibusque singularibus, non aequae exposita, nondum prorsus deformata. Primum, quod in omnium eruditorum ore est, Concilium *oecumenicum* fuit *Nicaenum*. Quarum illud, majoris minorisve momenti, rerum causa, convocatum, celebratum, finitumque sit, nostra nunc scire non interest. Non enim, nisi in rationem & formam inquirimus ecclesiae repraesentantis, quam in conciliis primaevae detegimus & probare possumus. Disseram primum historice, dictaque deinde ad pauca revocabo. Cum inenante decurrenteque post C. n. IV. Saeculo, districta maxime intestinis ecclesia christiana esset dissidiis, Imperator Caesar Constantinus I. sacra Christiana superioribus annis amplexus, persuaderi sibi ab Hosio Cordubensi Episcopo & Eustathio Antiocheno passus est c) concilium generale convocare, postquam directorium in omnes ecclesias regni Romani, applaudentibus Cleris & Laicis, ei commissum erat. Ex quo factum est, ut cum Episcopos nonnullos convivio exceperisset & jam antea leges sanxisset, de obeundae diei dominicae & festorum ratione, ipse se Episcopum nominaret, his fere verbis: *Vos intra Ecclesiam* (nimirum administrandorum actuum ministerialium, concionum habendarum, sacrarum ordinationum, sacramentorum dispensandorum gratia) *Episcopi, ego extra Ecclesiam*

B 2

Ecclesiam

c) Apparet hoc ex epistola Athanasii ad solitariam vitam agentes exarata, & ex Eusebii Vita Constantini L. III. c. 6. 7. aliorumque scriptorum ecclesiasticorum assertis.

Ecclesiam a Deo Episcopus constitutus sum. In haec verba Eusebius ita commentatus est: *Itaque cum quae loquebatur, eadem mente secum cogitaret, animam in omnes qui ejus suberant imperio, intentum habuit, hortatus pro virili ut pi- am omnes vitam excolerent v. Eusebius in vita Constant. Lib. IV. c. 24.*

Hinc Constantinus non vicem Pontificis Romae gerebat in Ecclesiis regni sui disponendis & ejus nutu ordinandis, sed sub suis auspiciis, quod probe notandum, Concilium Nicaenum ordinavit. Nonnulli quidem Pa- palis sedis promachi, hocce Concilium a Sylvestro Papa Romae esse convo- catum, audacter jactant. Sed ab horum sententiis Platina & Petavius adeo abeunt, ut iis in faciem contradicant adstruendo, Constantini Imp. praeci- puas Synodi Nicaenae indicendae partes fuisse, eumque ibi convenire Epi- scopos & alios jussisse y. *Platina in Sylvestro I. Pontif. Rom. & Petavius in Rationar. temp. P. I. Lib. VI. cap. 2. p. m. 332. Collectores Conciliorum* optime quidem viderunt, historicos antiquae fidei jugiter Imperatori Constantino id muneris indicendae Synodi oecumenicae tribuisse, quod sibi Pontifex Rom. rapere fas putat. Ut itaque antiquitatem cum suis assertis concilient, ostendere moluntur: Constantinum quidem id consilii cepisse, sed non nisi Sylvestro Papa hortante & impellente. Vide Tom. II. concil. pag. 86. seqq. Quae omnia quam falsa sint tradita, nemo nescit, qui veteris historiae monumenta lustraverit. v. Theodoret. hist. eccl. Lib. I. cap. 7. & *Eusebii Vit. Const. Lib. III. cap. 5.* & cui haec alle- gata legere placet, facile perspiciet, nil evidentius pro nostra asserti posse sententia. *Socrates* cum Eusebianis suam conjungit historiam Lib. I. cap. 5, ubi tam de causis convocandae Synodi Oecumenicae, quam de ipsa convo- catione, Constantini eminentissimae auctoritati innixa, agit. Immo hic nos- ter Socrates, post nonnulla ex Eusebio recitata, indictionis operam *soli* Imperatori dilertis asserit verbis. *Talem (Episcoporum) coronam solum ex omnis praeteritae aetatis memoria, Unus Imperator Constantinus, pacis vinculo ad Christi gloriam colligavit.* Hocce Concilium Generale non solum ex toto imperio Rom. reliquisque quoad fieri potuit orbis Christiani partibus cogendum indixit, sed etiam suis sumptibus effecit ut anno 325. in urbe Bythinae Nicaea coalesceret d) consultationes de propositis argumentis in- choaret, continuaret & anno sequenti 326. finiret vid. *Theodoret. Hist. Eccl.*

d) Thomassinus qui partes Pontif. Rom. strenue tuitus est. Tom. I. Dissert. in Corc. p. 61. tamen professus est: „Non Nicaenum tantum, sed & complures aliae Synodi a Constantino Imp. convocatae sunt, eademque potestas a reliquis deinceps Imperatoribus usurpata est.“

cles. Libr. I. cap. 7. Imperatorem discimus praesentem ab initio, & devotissime, ut conveniebat, exceptum, congregatis in concilio publico patribus, causam omnem, ad quam convocati essent, cognoscendam, dijudicandam decernendamque graviter commendasse ac modeste sese a confesso recepisse; discimus porro non Episcopos, sibi solis cogendi Synodos, excluso Magistratu, vindicasse, nec Imperatorem sua potestate sic usum esse, ut Episcoporum vota & consilia aspernaretur, sed communibus sententiis ad Concilii convocationem perventum esse, relicta scilicet magistratus mandandi & cogendi potestate, Episcopis & reliquis sententiarum libertate. Hinc nec Laicis in hoc concilio libertas dicendi denegata est. Nam cum nullus Episcoporum in hoc concilio Sophistam quendam confringere ejusque argutias reprimere posset, prodiit tandem Laicus quidam simplex, nihil minus, quam verborum praestigias edoctus, qui ita compefcuit verbo Dei Sophistam, ut non modo ne mutire quidem auderet, sed etiam victum se ultro fateretur & ad Christianam religionem ultro accederet. v. Sozomeni Histor. Eccles. Libr. I. c. 17. Discimus vero etiam finiti concilii constitutiones sibi curasse proponi & explicari Imperatorem, ac sua demum autoritate confirmatis, legalis obligationis vim contulisse. Hinc literas in singulas provincias misisse, in quibus praecepit illis obsequi v. Euseb. in vita Constantini Lib. III. c. 18. 19. Constantini exemplum in conciliis generalibus indicendis, provehendis, & auctoritate legali donandis minuendisque secuti postea sunt, Imperatores Romani *Theodosius I.* in Constantinopolitano primo anno 381. reluctante & invito Damaso Pontifice Rom. Auctoritate Theodosii Imp. hanc synodum convocatam esse diserite Sozomenus Libr. VII. hist. eccles. c. 7. & Socrates Lib. V. c. 8. nec non Theodoretus libr. 5. cap. 9. affirmarunt. *Theodosius II* quoque & *Valentinianus II* Ephesinam Ao. 431. convocarunt: Apparet hoc ex literis quos Imperatores Theodosius & Valentinianus ad Patres Synodi Ephesinae exararunt, quarum initium ita se habet: *Cum magnam omnium quae ad Rempublicam curam habeamus, tumvero maximam illorum, quae ad pietatem religionemque conservandam pertinere arbitramur: Per ea namque cetera bona quoque hominibus suppeditantur.* — Tantum igitur absuit, ut Leonis Papae Majestas suos in hoc Concilio sparserit radios, ut potius vehementer, in sedis Rom. praesidium, fuerit obfuscata. Licet enim in literis ad Concilium datis, Legatum suum primum Paschasium, praesidem illius constituerit, attamen his literis Leonis, Episcopi, praecipue Egyptiacae regionis, noluerunt obsequi & Paschasio praesidium denegarunt. Accedit quod Epistola a Concilio finito, ad Leonem exarata, eum in fi-

nem data sit, ut decretis approbationem *συγκαταθήκη* non autem *αυτοπροσθερημένη* tribueret, nimirum ut rata haberet assensu, non edicto.

Marcianus Imp. post exactam impiam illam ac sceleratam Synodum Ephesinam ao 449. habitam, indixit Chalcedonense Concilium oecumenicum a. 451., de quo ipse in oratione ad Synodum habita, *Nos*, inquit, *ad confirmandam fidem non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris Constantini adesse Synodo cogitavimus.*

Justinianus, felicissimus Legum instaurator, convocavit Constantinopolitanum anno 553. de se ipso scribens. *Se laudatissimorum Imperatorum Constantini, Theodosii cet. exemplum in congreganda oecumenica Constantinopolitana Synodo securum esse.* Articulos quoque, de quibus in Concilio agendum erat, per legatum suum, ad Synodi patres miserat. *Vigilius*, Papa Rom. ipse Constantinopoli aderat confessui, sed noluit interesse, quia *Eytychi* Episcopo Constantinopolitano, primus in illo decretus erat locus. Nihilominus in negotio pergendum censuerunt patres, ex quo liquet, nondum tantam Pontificum auctoritatem Romanorum fuisse, quantam post *Mauritii* Imp. tempora sibi vindicavit. Hinc hocce Concilium oecumenicum non Papa Rom. indixit, sed ad illud convocatus apparuit. Ut taceam quae in hoc Concilio & quae postea evenerunt. Hoc unicum addam. *Vigilium* ab Imperatore in Insulam Proconnesum esse relegatum, quia datam fregerat fidem. Egregium scilicet Papalis Auctoritatis exemplum, v. *Jaque Basnage Histoire de l'Eglise* Tom. I. p. 523. seq.

Imperatores Rom. ex plenitudine regiae potestatis imitati sunt, Reges antiquae Hispaniae, quos inter praecipue nomino *Reccaredum*, qui *Toletano* IV. vulgo III. anno 545. a se convocato ipse adfuit; confessionem orthodoxam ad praescriptam Sacrae S. & ductum *Nicaeni* & *Constantinopolitani* symboli, condi curavit, ipso praeeunte. *Arianae* enim sectae haecenus addictus erat, sed agnita veritate, orthodoxam amplexus fidem eam per totum suum regnum divulgari cupiebat. Rex ipse non solum interfuit huic synodo, sed & decreta subscriptione sua confirmavit. Huic & alios Reges nimirum *Galliae Britanniae* & plures addere possem, si opus esset, & *libelli mei* angustia pateretur. Testes provoco *Tomos Concil.* & *Schmidii Sagittarianae introductionis in hist. eccles.* Tom. II. tandem ipsa rerum gestarum documenta.

Dieta applicantur.

Nova certe haec ecclesiae repraesentantis, in Conciliorum celebratione facies fuit, non prorsus tamen abluens vel a juris socialis regulis, superius commemoratis; quod omnes concernit, ab omnibus curandum est, — vel a Concilii Hierosolymitani ejusque Apostolici ratione & forma. Cum enim amplificatis ecclesiae christianae pomoeriis inter doctores prisca illa animi demissio & concordia evanuisset ejusque in locum successisset ambitio, spiritus obediens in praecordiis quoque auditorum nec non caritas & obsequendi studium refraxisset, inolevisset autem fordida cupido & animus refractarius; alia tempora, alia poscebant consilia, si late diffusa civitas christiana funditus perire inque membra Absyrti a Medeis nollet dilanari. Nactus hinc populus magistratus cum suis votis ad unam spem salutis aeternae secum collineantes, legislationis adhaec in imperio, jurisdictionis in singulos reipublicae cives, jure gaudentes; non certe populus is, non ecclesiae syntheticae membra, jure sese suo ad communem salutem suffragia ferendi exuerunt, sed in summum contulerunt magistratum, qui, ad salutem tutandam provehendamque spectantibus mediis & opportunitis praesidiis, pondus legalis obligationis addere potuit.

Afferri nostri veritas multo magis elucescit e Francicorum Regum, Caroli M. Ludovici Pii, proximorumque successorum *Capitularibus*, coaevalorum item aliorum Regum Europae nostrae *Constitutionibus & Decretis*. His enim in more positum esse legimus, ut, in publicis iudiciis conventibus, sacra juxta ac profana, ecclesiastica & secularia promiscue, non solum ab Episcopis & Abbatibus, sed etiam Ducibus, Comitibus & Optimatibus suis, tractari curarent. Qui, cum in constituendis his illisve rebus consensissent, supplices orarunt Regem, ut *placitum* suum adjiceret constitutis; quo demum obtento, constitutiones ipsorum vim legis, omnem rempublicam obligantis, obtinuerunt. *Placita* Regum Francicorum, quod constitutionum sectiones minores respicerent, *Capitularium* nomen retulerunt. Ergo his Regum temporibus Sec. VIII. IX & X ecclesia repraesentativa non consistebat in unis, uti audiunt, clericis: minimeque omnium in Pontifice Romano & consultationibus ejus; sed ad eam quoque concurrebant Reip. Optimates. Moris hujus antiquioris exempla e seculo adhuc XI. quin proferam, non possum committere, historia Hungarica lucidissimam faciem nobis praeferente. Hujus instituendae disquisitionis facultatem mihi praebuit, apparatus librorum incomparabilis, historiam

Historiam Hungaricam illustrantium, quem summa cura & magnis sumptibus b. noster Schwarzius collegit, & cujus maximam partem ejus fida tori socia, nata Bruningia, nunc etiam sedibus beatorum adscripta, in memoriam mariti dilectissimi, Academiae nostrae Bibliothecae prolixè donavit. Inter alia decretam S. Stephani I. Regis & Apostoli Hungariae, in ordine ab eo publicatorum secundum, mihi in manus venit, quo sanctus Rex multa promiscue sacra & profana, ecclesiastica & politica, plane ad indolem Imperatorum Orientis in Novellis & Francicorum in Capitularibus ordinat & decernit. Multi quidem historici, quos inter *Inchoferus* in Annalibus suis ecclesiasticis regni Hungariae, impressis superiorum permisso Romae 1644. in folio, principatum tenet, in omnes sese verterunt partes, dicturi, qua potestate S. Rex de rebus sacris & mere ecclesiasticis constitutiones ediderit. Denique potestatem illam Regis Apostolici ab Apostolica legatione recessiverunt, quam in ipsum Sylvester II. Papa Rom. per bullam Anno millesimo contulerit. Sed hujus Bullae Sylvestrinae, noster Schwarzius in Dissertatione sua, quam pro gradu Doctoris Philosophiae capessendo in Universitate Hallensi olim defendit & sub titulo: *Initia Religionis inter Hungaros ecclesiae Orientali adserta eademque a dubiis & fabulosis narrationibus repurgata*, publice juris fecit, authentiam sollicitavit, licet multorum id propter scemmata & male in se dicta passus sit, quorum *Stiltingus* in Vita S. Stephani Jaurini 1747. & Carolus *Peterfey* e Societate Jesu, qui *Concilia ecclesiae Rom. Catholicae in Regno Hungariae & sedis Apostolicae Legatorum Constitutiones ex Manuscriptis potissimum eruit, collegit & illustravit* Pofonii 1741. principes auctores fuerunt.

Sed hi omnes strenue refutati sunt a Schwarzio & Bulla Sylvestri Papae ad eas incitas est redacta, in tractatu Doctissimo: *Entlarvte Bulle Pabst Sylvester der II.* — Lemgo 1777. ut a doctissimis, inter ipsos Pontificios, viris, jam nulla attentione digna habeatur. Provoco ad *Kollarii de originibus & usu perpetuae potestatis Legislatoriae circa sacra Apostolicorum Regum Ungariae* librum singularem Vindeb. 1764. Hic vir perspicax licet in historia sua diplomatica *Juris Patronatus Apostolicorum Hungariae Regum* Vindeb. 1742. Strenuus Bullae Sylvestrinae fuerit defensor, sententiam suam mutavit in illo libro, & capite secundo eivntum dedit, S. Regem Stephanum, Orientis & Occidentis Imperatorum exemplo, potestate ferendarum circa sacra legum fuisse usum. Aseri sui testem locupletissimum, ipsummet sanctissimum Legislatorem citat, qui leges suas his verbis exorsus est: *Regnante divina clementia. Opus regalis dignitatis alimonia effectum catholicae fidei, amplius ac solidius alterius dignitatis operibus solet esse.*

Et

Et quoniam unaquaeque gens propriis regitur legibus, idcirco nos quoque Dei nutu nostram gubernando monarchiam ANTIQUOS & MODERNOS imitantes Augustus, decretali meditatione nostra statuimus genti nostrae, quemadmodum honestam & inoffensam ducerent vitam cet. Ex his recte concludit Kollarius, Religionem Christianam a Rege in regnis suis introductam ac rebus necessariis provitam; si civilibus praeterea communiatur legibus, ampliorem & solidiorem esse consuevisse, idem enim hoc & clarius sanctum Regem mox repetere: *Ut sicuti divinis legibus sunt dicati, similiter etiam secularibus sint addicti.* — Quibus verbis in duplex opus Regium, id est, officium & munus innuere, videlicet procurationis legis div. & legislationis profanae: ubi praeterea animadvertit canones Conciliorum autoritate civili a S. Rege donatos, itemque reliquas leges ecclesiasticas, de rebus lege divina non definitis ab eodem perlatas, leges seculares recte appellari. Porro Kollarius argumentatur, eadem ratione S. Regem ad scribendas leges esse impulsam, qua Orientis & Occidentis Imperatores inducti olim fuerunt: videlicet ob salutem & incolumitatem Ecclesiarum Dei, & honestatem vitae sibi subiecti populi.

Post S. R. Stephanum, quem & qualem conventum cum proceribus suis instituerit S. Ladislaus Rex, vel ex uno titulo, cui decretorum argumenta apprime respondent, cognoscamus? „Regnante creatore & Salvatore Domino nostro Jesu Christo: Anno incarnationis ejus millesimo nonagesimo secundo XIII. Cal. Junii in Szabolch sancta synodus habita est, praesidente Christianissimo Ungarorum Rege Ladislao, cum universis suis Pontificibus & Abbatibus, nec non *cunctis Optimatibus* cum testimonio totius cleri & populi. In qua „synodo sancta canonice & laudabiliter haec inventa sunt decreta“ vid. Kollarius l. c. p. m. 69. Bonfinius in Rerum Hungaricarum decadibus quatuor cum dimidia, hoc decretum operi suo in fine adjunxit & quidem editioni Francofurti editae 1581.

Praeterea S. Ladislai successoris Colomanni Regis, qui ab anno 1096. usque 1115. scepra tenuit, ejusdem commatis, ad utramque rempublicam ecclesiasticam aequae ac secularem moderandam edita decreta l. c. in Bonfinio leguntur. De quibus conferendum est Kollarius l. c. p. m. 79. seq.

Plura hujus rei exempla adducere vetant commentatiunculae, certis limitibus circumscriptae, angustiae. Hoc unicum tantum commemorabo. **C** Quod;

Quod, si quando, Caroli M. & successorum coaevalorumque Regum aevo, vel Archiepiscopis, Metropolitanis vulgo Concilia provincialia vel Episcopis dioecesana, celebrare visum est, non illa cum suis decretis, reliquam obligabant populum, nisi placito Regis, seu illius confirmatione fuissent communita.

§. 9.

Consecraria quaedam ex antecedentibus eruuntur.

Ex his igitur, quae a nobis disputata sunt legitimas, quisque fidem historicam amplectens, & aequo iudicio instructus, consequentias struere potest; primo Repraesentantis Ecclesiae ejusque universalis nomine jactare sese Pontifices Rom. Falso secundo id excellentis honoris elogium adtribui Cardinalium suorum Collegio; sed neque tertio in ullum Concilium, seu particulare sumatur, seu universale, tantum eminentiae & potestatis axioma simpliciter, vel sine restrictione cadere.

Sed ne ultra limites spatium statutos, finem commentatiunculae nostrae imponere & ea quae dicenda essent & ad nostram, qua vivimus, aetatem applicari possent; ad aliam opportuniorem occasionem differe cogimur.

Converto me igitur ad indicendam panegyrim, cujus in fronte mentionem jam feci. Panegyrim puto, in qua fasces Ernestinae nostrae, successori longe dignissimo, Viro Illustri atque Consulissimo *Carolo Guilielmo Zippermann J. V. D.* ejusdemque primario nec non Historiarum Professore ordinario celeberrimo, Fautori aestumatissimo, publice tradam & solenniter. Gratulor, mihi magistratu jam iterum me abdicaturus & secunda vice Novo Pro-Rectori traditurus, de illo successore, cujus virtutes & merita in Academiam nostram, & eruditum orbem recensere, longum immo superfluum esset, quem Academiae Senatus mecum unanimis suffragiis elegerunt & Serenissimus Princeps ac Dominus **GUILIELMUS IX.** Hassiae Landgravius reliqua, Patriae indulgentissimus Pater, & ipse Academiae suae Rector Magnificen-

gnificentissimus, cumulatisque in Academiam nostram beneficiis Nutritor beneficentissimus, confirmavit clementissime, ut anno sequente Pro-Rectoris Magnifici sparta fungeretur, atque mihi decedenti feliciter succederet.

Ad quae Solennia *Virum Magnificum Cancellarium, Proceres Academiae Venerandos, Viros omnium ordinum ac dignitatum Spectatissimos, Generosam in primis & Nobilissimam studiosae Juventutis coronam*, quam humanissime quamque amantissime invitatos volo, ut post peracta sacra in templo oppidano, inde in auditorio publico divina in nos beneficia pia mecum mente recolere, tum supplices preces, pro salute & perpetua incolumitate Principis, quo tantopere laetamur, Sapientissimi, Justissimi, Clementissimi, totiusque domus Augustae, fundere, bene Novo Pro-Rectori, bene Patriae universae precari, aequis denique auribus perorantes utrosque nos audire velint, me quidem ostensurum: *In addiscendis literarum studiis omne otium inhonestum esse fugiendum: Succesorem vero pro more, id est eleganter & docte disquirentem.*

Num Vicariis S. R. J. G. durante interregno, potestas quam vocant administratoria interregia, & jus, Commissarium ad Capitula, in eligendo episcopo Germaniae immediato, occupata, ablegandi, adscribi possit?

Dabimus & ego & Novus Pro-Rector operam vicissim, ut gratum memoremque animum erga omnes & singulos, quavis occasione testemur
P. P. d. XVI. Jul. MDCCXC.




gratissimum, cum laude in Academia nostra benevolentia Nutritio re-
nunciavit, commendavit clementissime, et anno sequente Pro-Rectoris
Magnifici sperta fuerunt, atque mihi decedenti feliciter succederet.

Ad quae Solennia Virum Magnificum Cancellarium, Praeceptor Academi-
cae, Viri sanctissimi et dignissimi Spirituales, Censorem in pri-
mo & Nobilissimum, Facultate forensi, quam humanissime spandus
amantissime invitatos volo, ut post peracta facta in templo operando, inde
in auditorio publico divina in nos benedictio pia meram mentis recolare, tam
supplex precor, pro salute & perpetua incolomitate Principis, quo tantopere
laetamur, spiritissimum, Iustissimum, Clementissimum, totiusque domus Augustae,
fundens, bene Novo Pro-Rectori, bene fuitae universae precari, sequis dei-
que caribus petentes ut quod nos audire vult, me dignetur oculatum:
In aliquid, factum habet enim vitem inbentem esse figuram: Sacces-
sorem vero pro more, in est eleganter & docte dignum.

Novi Praeceptor & R. P. C. hanc innotescit, per se quoniam vocant ad-
ministratio innotescit, in Cancellarium ad Caput, in eligendo effere Cui-
usmodi innotescit, occupata, abbas, assistit esse?

Laborum & ergo & Novus Pro-Rector operam vestram, in gratiam me-
morandis animam erga omnes & singulos, quavis occasione letetur.
P. R. d. XVI. Jul. MDCCXC.



...





Fd 4962

ULB Halle 3
001 015 370




sb, a

(F)

2.5.







17.

AVSPICIIS ET IVSSV
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
GVILIELMI IX.

HASSIAE LANDGRAVII PRINCIPIS HERSFELDIAE COMITIS
CATTIMELIBOCI DECIAE ZIGENHAINAE NIDDAE
SCHAVENBVRGI HANOVIAE RELIQUA

CLEMENTISSIMI PATRIAE PATRIS

ET
ACADEMIARVM SVARVM RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI

FASCES ACADEMIÆ ERNESTINÆ

PRO-RECTORI IN ANNVVM SEQVENTEM MAGNIFICO

VIRO ILLVSTRI ET CONSVLTISSIMO

CAROLO GVILIELMO
WIPPERMANN

J. V. D. EIVSDEMQUE PRIMARIO ET HISTORIARVM
PROFESSORI CELEBERRIMO

AD D. XIX. IVLII ANNI HVIVS MDCCXC.

TRADENDOS INDICIT

EAMQUE AD PANEGYRIN

EA QVA DECET HVMANITATE INVITAT

D. JO. ENGELH. KAHLER

ACADEMIAE HACTENVS PRO-RECTOR
NONNVLLA

DE ECCLESIAE REPRAESENTANTIS ORIGINE EIVSQUE
CONSTITVTIONE IN SVCCEDENTIBVS TEMPORIBVS

MORE MAJORVM,

PRAEFATVS.

RINTELII, LITTERIS A. H. BOESENDAHL ACAD. TYPOGR.